



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXXIV. Hermannvs V. LIII. Arch. XXXVII. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Coloniensi equidem subditos, sed parùm fideles sibi, rogavit palam, quot proditores Christum Servatorem vendiderint? respondentibus singulis: proditor is unus fuit Iscariotes. Tum verò Philippus: *me verò vendunt proditores multi*, atque hoc dicto perfida multorum dispulit confortia. Nihilominus, cùm inter Senatores numerarentur, qui cives oneribus multis gravâssent, & tardè admodum imposita ipsi exsequerentur mandata, ob has aliasque non leves causas Procerum varii capite plexi, reliquis eum timorem incusserunt, ut alieno, quàm suo damno sapere mauerint. Annis 7. Electorem timuerunt Colonienses; an. 1516. inter varia luctus & lætitiæ testimonia publica sepeliêrunt.

## LXXIV. HERMANNVS V. LIII. ARCH.

## XXXVII. ELECTOR.

**H**ermannus V. Comes de Wied, Elector simul & Episcopus Paderbornensis constitutus, opus bene cœptum in fine corruptit: ab anno enim 1530. pravis libertinorum consiliis seductus, haud obscure cœpit favores prodere Luthero & sociis: Argentorato enim Boñam vocâsse fertur Bucerum, ex Saxonia verò Melancktonem, quorum librum, Hermanni nomine editum, confutârunt Coloniae Scriptores. Hermannus tamen sprete Catholicorum consiliis & libris Kempenæ, Andernaci alibi-que locorum nova placita spargi permisit, aut turpiùs mandavit, ex pastore factus lupus. Igitur à Romano Pontifice Paulo III. & Imperatore Carolo in summas redactus angustias, Sedeque sua pulsus, an. 1547. elapso exinde lustro unico in Comitatu Wiedano an. 1552. est extinctus.

## LXXV. ADOLPHVS III. LIV. ARCH.

## XXXVIII. ELECTOR.

**A**dolphus Comes de Schauenburg Hermanno V. Adjutor junctus, & ipso Sede amoto Archipræsul consecratus, providè contrariam Antecessori iniit viam, sparsa doctri-

næ